

quòd Johannes Christo testimonium dedit, & Christus vicissim Johanni. Itaque mutuuum testimonium non est rejiciendum, quando utramque personam fide dignam esse constat.

*Cap. 8. Fallacia prædicamentorum.*

**F**allacia argumentorum propriorum est circa prædicamenta. Fallacia prædicamentorum.

Hic in genere committitur fallacia,

1. *Cùm res in prædicamento esse dicitur, in quo non est: ut, justus in prædicamento substantiæ. 2. Cùm dicitur esse in prædicamento ratione materialis, ubi spectandum est formale, tanquam principale, à quo fit denominatio: ut, cùm testudo, quâ testudo, collocatur in prædicamento substantiæ, quæ ratione figuræ est in prædicamento qualitatis. 3. Cùm aliquid dicitur esse in prædicamento directè, per se & primariò, quod non nisi analogicè, secundariò, per accidens, & reductivè est in prædicamento: ut, cùm Deus dicitur esse in prædicamento substantiæ directè, Cerberus in prædicamento aliquo per se &c. Vide hæc de re supra lib. 3. c. 1. canones sex ad finem.*

In specie fallacia hujus loci est,

**I. Substantiæ:**

1. *Cùm qua ipsi competunt ratione accidentium, dicuntur ipsi convenire formaliter & essentialiter: ut, cùm substantia substantiæ dicitur contraria, putà ignis aquæ, vel una substantia dicitur magis substantia quàm altera, ut Aristoteles magis homo quàm idiota. Hæc enim competunt substantiæ ratione qualitatum. 2. Cùm accidens dicitur esse substantia: ut, cùm locus ponitur in prædicamento substantiæ.*

**II. Accidentis.**

2. *Cùm accidens confunditur cum adjuncto, ita ut habeantur pro synonymis: ut, si quis dicat, Equus est adjunctum respectu loci. E. equus est accidens. 2. Cùm accidens prædicamentale confunditur cum prædicabili: ut, cùm omniscientia Dei dicitur proprium, & sic colligitur: Proprium est accidens. At*

M m